Quelle: https://manuscripta.at/?ID=892
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

25

Incipit Tractatus de translacione Imperii Editus a magistro Marsilio de Padua continens duodecim Capitula

Primum est de intencione narrandorum. Secundum qualiter Romanum Imperium per 33 Imperatores et 320 annos et 2 menses Rome sine mutacione permansit. Tercium est quare orientales videlicet perses arabes caldei et alie confines naciones a dominio Romani Imperii recesserunt. Quartum est qui fuerunt principales populi qui sedicionem huiusmodi ex antiquis occasionibus excitaverunt. Quintum est de principio et ordinacione translacionis Imperii de grecis in francos. Sextum qualiter Pipinus tempore Zacharie pape Romani de maiori domus in Regem francorum extitit sublimatus. Septimum qualiter Pipinus Rex francorum ad peticionem ecclesie Romane adivit ytaliam adversus Astulphum Regem longobardorum ipsumque devicit et temporalia ecclesie Romane restituit. Octavum qualiter tempore Adriani pape karolus magnus urbis patricius constitutus fuit ipsique sedis apostolice Romane disposicio concessa fuit. Nonum qualiter Imperii Romani translacio de grecis in francos facta fuit. Decimum qualiter Imperium translatum fuit a francis seu gallicis in germanos. Undecimum qualiter Germani electores Imperii fuerunt instituti. Duodecimum est Epylogus dictorum. Capitulum primum

Romani autem in eo quod defensorem pacis tractatu fecimus de Romani cuiuslibet alterius principatus institucione nona translacione aut alia quavis circa principatum mutacione diximus per quem et quomodo secundum racionem seu de iure fieri debet et potest. Nunc autem in hiis perstringere volumus sermonem de sedis Imperialis translacione collectum diligenter ex cronicis hystoriis quibusdam per venerabilem landulphum de columpna Romanum Satrapam eius scripture In quibusdam